6

actor. arcere. Luminibus cassis. infra intuebria passis. De his habemus. iiii.
q. vii. tertia. Olim aduocati salaria a fisco accipiebant. Hodie uero
a clientulis suis salarium exigere possunt. et tam clerici quam laici. ar.
xii. q. iii. non licet. Clerici tamen prebendarii uel etiam ubi causis postulare non
debent. nisi iniuria sua uel ecclesie siue causa. uel miserabilium personarum. ut in his
c. continetur. Ab ecclesiis autem suis salarium exigere non debent. ar. xii.
q. nulli. et. xx. q. v. c. i. Illud in summa notandum quod ea que aduocatis
desunt. id est ab aduocatis obmittuntur iudex supplere debet. ut c. ut que
desunt aduo. l. i. Hoc uerum est si uis omittant. ar. ff. de iudic. non quicquid.
§. i. Sed circa facti inquisitionem. iudex supplere debet. ar. v. q. v. illi. et. xxx.
q. v. iudicantem.

Audiuimus de aduocatis qui patrocinium prestant litiganti. nunc audiamus
de procuratoribus qui supplent uices litigantis. Videamus ergo quis dicatur
procurator. in quibus causis dandus. quis dare possit. cui dari. que cautio
ab eo exigatur. quod eius officium. quis effectus procuratoris. Procurator
est qui suscipit alienum negotium ministrandum. mandato generali uel speciali.
Mandatum enim est gratuitum. ut hic. c. i. Sunt quidam qui sine man-
dato admittuntur. ut ff. e. l. hec. In criminalibus causis procurator non
datur. In aliis dari potest. ut v. q. iii. in criminalibus. quia tamen excipitur causa
ingratitudinis. in qua patronus libertum per procuratorem accusare. et ille
per procuratorem deffendere se potest. ut ff. e. l. hec. §. i. Dare autem potest procura-
torem quis cui non ei lege interdicatur. ut ff. e. mutus. §. i. Procurator
procuratorem etiam post litem contestatam dare potest. ut c. e. nec et ff. mandati. Sed
procuratore. §. i. Dari potest procurator qui habet per se personam standi in iudicio.
unde excipitur miles. et mulier. ut c. e. militem. alienam. Porro. si de
mandato procuratoris fides constat. ab eo cautio non est exigenda. ut
c. l. i. Si uero dubitatur de mandato exigitur cautio de rato a procura-
tore actoris. id est ut caueat dominum ratum habiturum. A procuratore rei
exigitur cautio de iudicato soluendo. ut in inst. de sat. dat. §. sed hodie.
Officium procuratoris est usque ad finem prosequi mandatum nisi tempestatiue
renuntiauit. ut in inst. mandati. Nam mandatum ab initio respui potest. sed
susceptum debet consummari. unde uersus. Sponte mandatum licet. Effectus
procuratoris est. ut ratum sit quod geritur cum procuratore ac si cum domino geri-

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.9, 6r – Bernardus Papiensis, Summa decretalium
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-f8bw/5148/49250)